



213.



## Disputatio IX.

DE EXTRAORDINARIIS  
CRIMINIBVS,

Cuius defensionem

D. O. M. A.

P R A E S I D E,

CLARISSIMO,

CONSULTISSIMOQUE VIRO,

DN. HENRICO BOCERO, V. I. D.

*celeberrimo, & in inclita Tubingensi Academia Profes-*  
*sore praestantissimo, Praeceptore suo**honorando:*

ORDINARIJ EXERCITII GRATIA,

pro ingenij tenuitate suscipiet, tempore lo-  
coq; consuetis,

IODOCVS COLB SPIRENSIS.

TUBINGÆ,  
Typis Georgij Gruppenbachij,

ANNO M. D. XCVIII.

Ee

Dissertatio IX.

DE FERRANDINENSIBUS  
CRIMINIBUS

Guisebaldus

D. O. M. A.

P. R. A. I. D. E.

C. L. A. R. I. S. I. M. O.

GOETTER-LEHR-UND-LEBENS-WEISE

AN DER UNIVERSITÄT ZU GIESSEN

VERLESEN VON  
HERRN DR. J. G. M. A.

ORDINARIUS EXERCITII GRATIA

PROFESSOR PUBLICUS

COGNOMINE

IOHANNES COLBARIENSIS



T. R. I. N. I. T. A. T. I.

Typis Georgii Groppebachii

ANNO M. D. C. C. C. L. I. I. I.



# Disputatio IX.

## DE EXTRAORDINARIIS criminibus.

### THESIS I.

**A**CTENVS DE PRIVATIS DELICTIS; sequuntur modò extraordinaria crimina. (a) Extraordinarium crimen est, cuius quæstio non per actionem in iudicium deducitur; sed ita, vt reus arbitrio iudicis puniri petatur. (b) Qui Iudex Romæ est Præfectus vrbi, quandoq; etiam Præfectus vigilum; in Prouincijs Præsides prouinciarum. (c)

a) Vide thesin 5. disp. 1. sub hac 3. classe. & l. 3. ff. ad Senatusconsultum Turpil. Vbi Paulus Ictus à priuato crimine separat extraordinarium crimen. (b) l. 3. ff. expilatæ hered. l. vlt. ff. de priu. del. l. interdum fur. 56. §. qui furem. & l. vlt. ff. de furt. l. vlt. ff. de iniur. §. in summa. vers. sin autem. Instit. d. t. l. 1. §. 1. ff. de effract. Vide Cuiac. lib. 8. obseru. 33. Vbi exponit, quid differat extraordinarium iudicium à priuato. Vide eundem in notis ad Iul. Paul. lib. 5. sent. tit. 18. §. si ea pecora. Quam autem pœnam indicere possit Iudex, qui arbitrium in vindicandis his criminibus habet, latè explicat Menoch. lib. 1. de arbit. Iudic. quæst. 85. 86. 87. & 88. (c) l. 4. l. sunt praterea: 8. & l. seq. in fin. ff. de extraord. crim. l. 2. C. de crim. expil. hered. l. 2. & l. 3. ff. d. t. De Præfecto vigilum est textus in l. 3. ff. de off. præf. vig.

### I I.

Estq; duplex: aut enim sua natura merè est extraordinarium, vt cuius nullum priuatum aut publicum iudicium est comparatum: (a) aut est extraordinarium pro arbitrio tantùm actoris. Cùm alioquî vel priuatum iudicium, (b) vel iudicium publicum producat. (c)

a) l. 1. l. vlt. §. pen. ff. stellion. & l. 2. ff. de concuss. Cuiac. in parat. ff. de extraord. crim. (b) d. l. vlt. ff. de priuat. del. d. l. vlt. ff. de furt. d. l. vlt. ff. de iniur. l. 1. in pr. & §. 1. & 2. ff. de extraord. crim. (c) l. annonam 6. §. 1. ff. de extraord. criminib. l. sepulchri 8. ff. de sepulchro violat. l. 2. ff. de concuss. l. pen. in princ. ff. ad leg. Iul. de vi public.

### III.

Prioris generis sunt crimen expilatæ hereditatis, (a) stellionatus,



DISPUTATIO DE

natus, (b) collegij illiciti coitio, (c) prauaricatio ab aduocato facta, (d) & termini motio. (e)

a) l. 2. §. 1. vers. Nam in hunc casum. ff. expil. hered. Vbi Cuiac. in parat.  
 b) l. 1. l. 3. §. 1. & §. pen. ff. stellion. l. 4. C. eod. tit. & l. 3. ff. de extraord. crim. Cuiac. in parat. C. tit. de crim. expil. hered. (c) tit. ff. de colleg. & ibi in parat. Cuiac. (d) l. 1. §. 1. l. 3. §. ff. de prauaricat. (e) l. 1. ff. de termino moto.

IIII.

EXPILATÆ HEREDITATIS crimen est, quo quis res hereditarias ante aditam hereditatem, vel post aditam, sed antequam ab ab herede res possessæ sunt, interuertit.

*l. 2. §. 1. ff. expil. hered.*

V.

Atq; hoc crimen extra ordinem coërceri solet per accusationem expilatæ hereditatis, (a) quæ & compilatæ hereditatis accusatio dicitur. (b) Cuiusmodi accusatio intendi consuevit loco deficientis actionis furti. (c)

a) l. 1. ff. d. t. (b) l. heres. 33. ff. de neg. gest. (c) l. vlt. C. de crim. expil. hered. l. 2. §. 1. l. vlt. ff. expil. hered. Obstat l. si te expilasse. 12. ibi, furti improbioris. C. ex quib. caus. inf. irrog. Vide Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 3. casu 300.

VI.

Est autem concessa hæc accusatio defuncti successoribus, quorum vnus si obiecerit alicui hoc crimen, & obtinuerit, coheredi quoque suo prodesse videtur.

*l. 4. ff. d. t. & l. 4. in pr. C. de crim. expil. hered.*

VII.

Et tribuitur aduersus eum, qui surripuit rem hereditariam, etiam si heredis accusatoris vitricus sit, (a) aut nouerca: (b) sed contra vxorem defuncti mariti huius successores hoc crimen intendere non possunt, (c) vt nec coheres contra coheredem. (d)

a) l. 2. C. d. t. (b) l. 3. C. eod. (c) l. 4. C. d. t. l. quamuis. 17. C. de furt. l. pen. ff. expil. hered. & l. heres. 33. ff. de neg. gest. (d) l. 1. C. de crim. expil. hered. l. 3. C. fam. ercis. facit l. merito si. in princ. ff. pro socio.

VIII.

Pœna huius criminis cum nulla specialis sit iure definita, (a) idcirco ei, qui cognoscit, liberum erit arbitrium causa cognita statuendi. (b)

a) Rii

a) Vti arguit l. 1. & l. 3. ff. expil. hered. (b) per l. 1. §. 1. vers. quibus nulla ff. de effraCTORIB.

## IX.

Præter pœnam iudicis arbitrio impositam Reo, etiam infamiae pœnam hic sustinet.

d. l. si te, C. ex quib. ca. inf. irrog. & l. infamem. 7. ff. de publ. iudic.

## X.

Concurrit autem cum hac accusatione etiam ciuili actio aliqua, puta actio ad exhibendum, Rei vindicatio, (a) & petitio hereditatis; (b) neq; ciuili criminalem, neq; hæc illam consumit. (c)

a) l. 2. in fin. ff. expil. hered. (b) l. 3. in fin. ff. d. t. Obstat d. l. 3. vers. expilata. C. fam. hercis. (c) l. vn. in pr. C. quan. ciu. act. crim. præiud. Duar. ad. t. ff. expil. hered. Vide Cuiac. lib. 20. obs. 25. & 26. Obstat videtur d. l. 3. ibi, electionem esse ff. d. t. & l. 4. ff. de publ. iud.

## XI.

SEQUITVR de Stellionatu. Stellionatus est crimen omne, quod alio speciali criminis titulo vacat. (a) Eiusq; species hæ sunt: si quis fortè rem alij obligatam dissimulata obligatione, per calliditatem alij distraxerit, vel permutauerit, vel in solutum dederit: (b) Si quis item merces supposuerit, vel obligatas auerterit, vel corruperit: cum etiam si quis imposturam fecerit, vel collusionem in necem alterius: (c) & si quis merces suppresserit, (d) aut in instrumento sua esse pignora peierauerit, (e) vel alterius instrumenta proderit. (f)

a) l. 3. §. 1. ff. stellionatus. (b) d. l. 3. §. 1. ff. d. t. l. tutor. 16. §. 1. & l. si quis 36. §. 1. ff. de pig. act. (c) d. l. 3. §. 1. vers. sed etsi quis merces. ff. stellionatus. l. 1. l. 2. l. vlt. C. d. t. Vide Menoch. lib. 2. de arbit. iudic. cent. 4. casu 383. (d) d. l. 3. §. vlt. ff. d. t. (e) l. vlt. ff. eod. Obstat videtur l. 6. in pr. ibi merces suppressunt. ff. de extraord. crim. (f) l. sunt præterea 8. ff. de extr. crim. cuius legis casus cum dolum significare videatur innominatum, autumo eum pertinere ad stellionatum. arg. d. l. 3. §. 1. ff. stellionatus. Plura exempla vide apud Menoch. lib. 2. de arb. iudic. centur. 4. casu 381.

## XII.

Pœna stellionatus nulla legitima est, cum nec legitimum crimen sit. Solent autem Rei ex hoc extra ordinem iudicis arbitrio plecti; Verùm in plebeis pœna opus metalli egredi non debet: (a) Exilium verò temporale eis imponi potest: (b) At in his, qui sunt in

aliquo honore positi, ad tempus relegatio, vel ab ordine motio remittenda est. (c)

a) l. 3. §. pœna autem. ff. stellion. (b) l. vlt. ff. d. t. (c) d. l. 3. §. pœna. ff. eod.

## XIII.

Sed stellionatus iudicio condemnatus, etiam infamis sit, nec ne, planè expeditum non est. Nos affirmatæ sententiæ adhæremus. (a)

a) Per text. in l. quid ergo. 13. §. vlt. ff. de his, qui not. infam. Sed obstare videtur textus in l. 2. ff. stellion. quem locum cum priori alij aliter conciliare student. Bulgarus & Martinus scribunt, crimen stellionatus ipso iure non infamare; infamare autem per sententiam; & prius velle Vlpian. in d. l. 2. ff. stellionatus; posterius verò in d. l. 13. §. vlt. ff. de his, qui not. infam. Sed Iohannes distinguit inter causam, ex qua descendit stellionatus crimen; quæ si eiusmodi fuerit, ut ex ea ciuilitèr condemnatus infametur, infamari quoq; condemnatum stellionatus iudicio: Hunc verò non infamari, si ex eadem causa ciuilitèr condemnatus non infamaretur, per l. infamem. 7. ff. de publ. iudic. Atq; hanc distinctionem communiter Interpp. probant, ut Accurs. ad d. l. 13. §. vlt. ff. d. t. Duaren. lib. 1. disput. cap. 42. Cuiac. 1. responsor. Papin. pag. 15. & 10. obs. 26. & in parat. C. de crim. stell. Ioh. Rob. Aurel. lib. 4. sent. iur. c. 17. Vvesenbec. in parat. ff. stellion. Arnold. ab Haërsolte in aduersar. de action. act. 26. ad 7. part. pandect. n. 5. At Iulius Pacius centur. 2. ἐναπιοφανῶν ἀδ tit. de his, qui not. infam. existimat, stellionatus iudicio condemnatum non infamari, nisi expressè iudicis sententia infamis esse iussus fuerit. Antonius Faber 4. coniect. c. 2. autumat abundare negationem in d. l. 2. ff. stellionatus.

## XIII.

Succedit illiciti collegij coitio. Collegium est coetus sodalium, (a) tribus (b) aut pluribus personis constans. Estq; licitum vel illicitum. (c)

a) l. 1. in pr. ibi collegia sodalitia, & l. vlt. ff. de colleg. & corporib. Cuiac. lib. 7. obs. c. 30. in pr. & Arnold. ab Haërs. in aduers. de act. act. 28. ad 7. part. pand. n. 1. (b) Tres personæ ad collegium constituendum sufficiunt. l. Neratius. 85. ff. de V. S. Vbi quæ huic definitioni obstare videntur, diluit Dn. Gædd. c) d. l. 1. §. vlt. ibi collegium licitum. & l. 2. ibi, illicitum collegium. ff. de colleg.

## XV.

Licitum collegium est, quod Principis vel Senatus autoritate vsupatur: (a) cuiusmodi collegium Romæ fuit collegium Pontificum, à Numa Pompilio institutum. (b) Item collegium Argentariorum. (c) Eiusmodi quoq; est collegium Publicanorum, Pistorum, Nauicu-



Nauiculariorum, (d) Theologorum, (e) Iurisconsultorum, Medicorum, Grammaticorum, (f) Fabricensium, (g) & Iudæorum. (h)

a) l. 3. in pr. ff. de colleg. & l. 1. in fin. pr. ff. quod cuiusq; Vniu. nom. (b) l. 2. §. deinde ex his leg. de orig. iur. Liu. lib. 1. 2. & 3. (c) l. 6. in pr. ibi, si quis ex argentarijs. ff. de edendo. l. cum duobus 52. §. cum duo erant argentarij socij. ff. pro soc. Liu. lib. 5. & lib. 34. (d) l. 1. ff. quod cuiusq; Vniu. nom. (e) l. 1. §. sed religionis. ff. de collegijs. (f) l. Medicos. 6. C. de Profess & Med. lib. 10. Ioh. Gæd. ad d. l. Neratius. 85. n. 1. ff. de V. S. (g) tit. C. de fabricens. lib. 11. (h) l. 1. ibi, vniuersitati Iudæorum. C. de Iudæis. l. Spadonem. 15. §. iam autem & Iudæi. ff. de excusat. l. 3. §. vlt. ff. de Decurion. & l. circumcidere. 11. in pr. ff. ad L. Corn. de Sic. Cuiac. 7. obs. 30.

## XVI.

Illicitum collegium dicitur, quod absq; Principis, vel Senatus autoritate institutum est. (a) Cuiusmodi collegium sub prætextu religionis, vel sub specie soluendi voti ne quidem à veteranis tentari potest. (b)

a) d. l. 3. in pr. ff. de colleg. & d. l. 1. in fine pr. ff. quod cuiusq; Vniuers. nom.  
b) l. 2. ff. de collegijs.

## XVII.

Causa autem inhibendorum collegiorum est, quòd multa improba, præsertim intempestiuis & sumptuosis commessationibus, tum etiam coniurationibus aduersus leges, & ordinum concordiam ac disciplinam publicam prætextu talium conuentionum improbi machinantur.

Haec duæ causæ inhibendorum collegiorum colligi possunt ex ratione, quam Augustus apud Philonem in suis edictis exprimit, quando scribit, collegia & coitiones Iudæorum se idèd permittere, quòd non sint crapulae primùm & vinolentia, deinde quòd non seditio num nutricula. Posterior hæc causa patet etiam ex l. 2. ff. de colleg.

## XVIII.

Quisquis verò illicitum collegium vsurpauerit, ea tenetur pœna, qua tenentur, qui hominibus armatis loca publica vel templa occupasse iudicati sunt. (a) Ipsum quoq; collegium mandatis, constitutionibus, & SCris dissoluitur. Permittitur tamen ipsis sodalibus pecunias cõmunes, si quas habent, diuidere, pecuniãq; inter se partiri. (b)

a) d. l. 2. vbi gl. ff. de colleg. Cuiusmodi est pœna læsæ maiestatis. l. 1. §. 1. ibi, loca uè occupentur, vel templa, quouè cœtus conuentus uè fiat. ff. ad L. Iul. Maiest. Duar. verò ad tit. de colleg. scribit, hanc esse pœnam legis Iuliae de vi publica. (b) l. 3. in pr. ff. de collegijs.

Ex-

## XIX.

Ex propositis primi generis speciebus criminis extraordinarij restat præuaricatio aduocati, & termini motio. Præuaricatio aduocati est, cum hic priuato vel publico iudicio colludit cum Reo, proprias dissimulando probationes, falsas verò Rei excusationes admit- tendo.

*l. 1. in pr. iunct. §. 1. vers. ceterum aduocatus. ff. de præuaric. & l. 1. §. 1. vers. præuaricari, & §. præuaricatorem. ff. ad Sctm Turpil. & de hac præuarica- tione videtur quoq; loqui Ictus Vlp. in l. sunt præterea §. ff. de extraord. crim. arg. l. 1. in princ. ibi, qui diuersam causam adiuuat pro dita causa sua. ff. de præuaricat.*

## XX.

Huius criminis pœna est extraordinaria, (a) vt quam iudex suo arbitrio in aduocatum præuaricatorem conuertit. (b)

*a) l. 1. in fin. & l. seq. ff. de præuaricat. (b) l. 1. §. 1. vers. quibus nulla. ff. de effractor.*

## XXI.

TERMINI MOTIO, crimen illud extraordinarium, est, cum quis terminum finium causâ positum auellit, aut propellit, (a) vel aliâs faciem locorum conuertit, puta ex arbore arbustum; aut ex silua nouale, aut aliquid eiusmodi facit. (b)

*a) l. 1. & l. 2. ff. de termino moto, l. 1. C. de accus. (b) l. vlt. §. vlt. ff. d. t.*

## XXII.

Pœna huius delicti pro conditione delinquentis statui solet. (a) Nam si splendidior persona fuerit, ad tempus relegatur, & quidem in longius, si iuuenis sit; in recisus, si senior. Alij verò, qui negocium gesserunt, & ministerio functi sunt, castigantur, & ad opus biennio dantur. Quòd si per ignorantiam aut fortuitò lapides quis furatus sit, sufficet eum verberibus decidere. (b) Si quis autem extra suum gradum, finesue statutos terminos dolo malo mouerit, populari actione tenetur, & in singulos terminos quinquaginta aureos dare iubetur. Seruus verò, si insciente domino dolo malo fecerit, capite punitur; nisi dominus multam pendere maluerit. (c)

*a) d. l. 1. & d. l. vlt. §. fin. ff. d. t. (b) d. l. 2. ff. eod. tit. Paul. lib. 5. sentent. tit. 22. (c) l. 3. in princ. & §. 1. ff. h. t. Vide Menoch. de arb. iudic. lib. 2. cent. 4. casu 393. & Goedd. ad l. vt si cui 12. in princ. n. 16. ff. de verb. sign.*

## XXIII.

SEQUITVR nunc alterum genus criminis extraordinarij, vt quod extraordinarium est pro arbitrio tantum actoris; cuius species sunt, sepulchri violatio, concussio, scopelismus, abigeatus, præuaricatio accusatoris, occultatio latronum, vel alterius criminis reorum, furtum balnearium, effractura, expilatio, crimen saculariatu, derectariatus, Dardanariatus & priuatum delictum, veluti furtum, rapina, iniuria, & serui corruptio.

## XXIII.

SEPULCHRI VIOLATIO, læsæ religionis crimen dicitur, (a) idque dolum violantis exigit. (b) Eaque producit actionem ciuilem, (c) extraordinariam item accusationem, (d) & accusationem publicam. (e)

a) l. 1. ff. de sepulchro viol. (b) l. 3. §. 1. ff. d. t. (c) l. 3. in princ. l. 6. l. penult. & vlt. ff. d. t. (d) Vti arguit collocatio d. t. vt qui generali tit. de extraord. criminibus proximè subiicitur. (e) l. sepulchri 8. ff. de sepulchro viol. & l. 4. C. eod. tit. de varijs hisce remedijs vide Menoch. dict. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 4. casu 387. & Dambouder. in praxi rerum criminal. cap. 109.

## XXV.

Ciuilis illa actio, est vel sepulchri violati actio, vel interdictum quod vi aut clam.

l. 1. & l. 2. ff. de sep. viol.

## XXVI.

Sepulchri violati actio est priuata, vel popularis. (a) Priuata ei datur, ad quem res pertinet, (b) in tantum scilicet, quanti ob eam rem æquum videbitur. (c) Vnde Iudex æstimabit, quatenus interfit scilicet ex iniuria, quæ facta est, item ex lucro eius, qui violauit, vel ex damno, quod contigit; vel ex temeritate eius, qui fecit. Nunquam tamen minoris condemnabit, quàm solet extraneo agente. (d)

a) d. l. 3. in princ. & §. vlt. ff. d. tit. (b) l. 3. in princ. & l. 6. ff. eod. tit. (c) d. l. 6. in princ. ff. h. tit. (d) d. l. 3. §. qui de sepulchri 8. ff. eod. tit.

## XXVII.

Popularis hæc est actio duobus casib. Prior est, si nemo erit, ad quæ hæc res pertinet; vel si erit, agere tamen nolit. (a) Posterior casus,

Ff

sus,

fus, si quis in sepulchro dolo malo habitauerit, vel ædificium habuerit, illo casu actio hæc est centum aureorum.

*d. l. 3. in pr. & S. si quis in sepulchro. & S. pen. ff. de sepulchro viol.*

## XXVIII.

Interdictum quod vi aut clam locum habet, si quis sepulchrum diruerit, aut statuam vel ossariam de monumento euulserit.

*l. 2. ff. d. t.*

## XXIX.

Extraordinaria accusatio si instituatur, Rei sepulchrorum violatorum viginti librarum auri pœna fisco inferenda multantur. (a) Quòd si quid detractum sit de sepulchro, puta saxa, marmora, columnæ, vel quæ alia materia, Reus non modò ædificium suum, aut villam, ad quæ isthæc materia prouecta reperitur, fisco inferre tenetur. (b) Sed & insuper decem pondo auri eidem fisco numerari iubetur. (c) Sin corpora ipsa rei huius criminis extraxerint, vel ossa eruerint, (d) aut manu armata cadauera spoliauerint, (e) humilioris quidem fortunæ summo supplicio afficiuntur, honestiores in insulam deportantur: aliàs autem relegantur, aut in metallum damnantur.

a) *l. 3. C. de sepulchro viol.* (b) *l. 2. C. d. tit.* (c) *l. 4. C. h. tit.*  
(d) *l. vlt. ff. cod. tit. & l. 2. Cod. dict. tit.* (e) *l. 3. S. aduersus eos. ff. h. tit.*

## XXX.

Aduersus eum qui ad busta defunctorum, & sacratos aggeres pergit, atq; inde lapidem mouet, terram euertit, cespitem euellit, ornamenta quædam triclineis aut porticibus aufert, cum sacrilegis proximus sit, pœna sacrilegij animaduertitur.

*l. pergit audacia. C. de sepulchro violato.*

## XXXI.

Publicam accusationem & publicum iudicium parit, sepulchri violatio, si quis fecerit quid, quo minùs aliquis funeretur, sepeliatur, atq; hic tenetur pœna legis Iuliæ de vi publica.

*l. sepulchri violati. 8. ff. de sepul. viol.*

## XXXII.

Non est hoc loco omittendum, quod etiam iudex, qui crimen violati sepulchri vindicare neglexit, non minùs quàm viginti librarum auri pœna multatur, etiamsi quis non violauerit, sed violatu-

**TUS**

706.

rus sepulchrum saltem attigerit : atque hanc pœnam largitionibus Principis inferre tenetur.

*l. 3. C. d. t.*

## XXXIII.

Neq; illud hîc omittendum, quòd creditor ægrotante, & modò animam agente debitore, domum eius ingreditur, & signa bonis imponit sine autoritate iudicis, non modò ius crediti amittit, sed & alterum tantùm heredibus defuncti præstare cogitur, & tertia bonorum suorum parte multatur, & infamis efficitur. Eademq; pœna coercetur, qui corpora defunctorum detinet, ac si volens sibi de corio defuncti satisfieri, nec sepulturâ affici eum, & funeri iusta persolui finit, priusquam fuerit omnis pecunia soluta.

*Nou. 60. c. 1. & Auth. Item qui. C. de sep. viol. Iustinus autem Imp. leuiorem pœnam in impediens sepulturam statuerat, nimirum quinquaginta librarum auri. l. vlt. C. d. t.*

## XXXIV.

Sancitum & illud est à Iustiniano Imp. ne vlli penitus sit licentia exigendi debitum à defuncti heredibus, parentibus, liberis, coniuge, agnatis, cognatis, affinibus, aut fideiussoribus, ante nouem dierum spacium post defuncti mortem.

*Nou. 115. c. 5. §. meminimus in super. & facit l. 2. & 3. ff. de in ius voc. vide Cuiac. ad tit. de diu. temp. præscr. c. 6. & ad Nou. 60.*

## XXXV.

Atq; hæc de sepulchri violatione, **CONCVSSIO** est cùm metu potestatis publicæ, nostræ, vel alienæ, aut futuri iudicij illicitè iniecto aliquid extorquetur ab alio, id agente, vt alicuius rei præstatione se eo metu liberet. (a) Atque hoc delictum parit non modò actionem priuatam, (b) sed & extraordinariam accusationem, (c) & quandoque accusationem publicam. (d)

(a) *l. 1. & 2. ff. de concuss. vbi Cuiac. in parat. l. illicitas. 6. §. illicita ff. de off. Præs. l. 3. C. de condict. ob. turp. caus. l. 1. §. pen. & l. pen. ff. de calumniat. Donel. lib. 15. comment. cap. 39. vbi concussionis exempla proponit. Et Ioh. Rob. Aurel. lib. 1. sent. iur. cap. 11. circa fin. Concussio apertè distinguitur à vi in l. vn. C. ex delict. defunct. in quant. her. ten. & in l. vlt. §. vlt. C. de modo multar. (b) *l. 3. C. de condict. ob. turp. caus. l. 1. ibi, ablatum eiusmodi terrore restitui. ff. de concuss. & l. 1. & t. t. de calumniat. (c) l. 1. in fin. ff. de excusat. l. pen. ff. de calumn. & l. 3. ff. ad SC. Turp. (d) l. 2. ff. de concuss. l. 1. §. 1. ff. ad l. Corn. de fals.**

Ff 2

Actio

## XXXVI.

Actio illa priuata est vel condictio ob turpem causam, (a) vel ex edicto de calumniatoribus actio in factum in quadruplum intra annum, post annum in simplum. (b)

a) d. l. 3. C. de condict. ob turp. caus. (b) l. 1. in princ. & §. pen. l. pen. & t. 1. ff. de calumn. Cuiac. in parat. ff. de concuss. & ibidem etiam Vves. sum quoq; Arnold. ab Haërsolte in aduers. de act. ad 7. part. pand. act. 18. n. 2.

## XXXVII.

Extraordinaria accusatio præter priuatam illam actionem institui contra reum huius criminis potest: quod cum fit, arbitrio iudicis pro qualitate admisi delicti reus plectitur.

l. penult. ff. de calumn. d. l. 3. C. de cond. ob. turp. ca. l. 1. ff. de concuss. & l. 3. ff. ad Senatusconsultum Turpill. Paulus lib. 1. sent. tit. 5. vbi Cuiac.

## XXXVIII.

Publica accusatio concussionis nomine institui potest vel ex lege Cornelia de falsis: vel ex lege Iulia repetundarum. Ex lege Cornelia de falsis, si Reus crimen minatus, atque hoc terrore quid extorsit. (a) Ex lege Iulia repetundarum, si quis in Magistratu, officio, munere, ministerio uel suo publico quid accepit, quo magis aut minus quid ex officio faceret, siue per concussionem, aut metum potestatis prius iniectum, siue dum se pecuniâ corrumpi finit, id fecerit. (b)

a) l. 2. ff. de concuss. iunct. l. 1. in princ. & §. 1. ff. ad L. Corn. de falsis. Arnold. ab Haërs. in aduers. de act. ad 7. part. pand. act. 18. n. 2. (b) l. 1. l. 3. l. 6. ff. ad L. Iul. repetund. Donel. d. lib. 15. cap. 39. in fine. Ioh. Rob. Aurel. lib. 1. sent. iur. cap. 11. in fin.

## XXXIX.

SCOPELISMVS est, cum inimicus aliquis in prædio inimici lapides ponit, iudicio futuros, quod is, qui eum agrum coluerit, malo leto periturus sit insidijs inimici, qui scopulos posuit. Quæ res tantum timorem habet, ut nemo ad eum agrum accedere audeat, crudelitatem timens eius, qui scopelismum fecit.

l. sunt quadam. 9. ff. de extraord. crim.

## XL.

Hoc delictum iudex extra ordinem exequi solet grauitè, vsque ad pœnam capitis; quia & ipsa res mortem comminatur.

d. l. sunt quadam. 9. ff. d. t.

Publico

## XLI.

Publico item iudicio hoc crimen vindicari posse videtur; puta ex lege Cornelia de Sicarijs.

arg. d. l. sunt quadam. 9. in fine, ibi, quia & ipsa res mortem comminatur. ff. d. t. iunct. l. 1. in princ. vers. qui ué hominis occidendi. & l. Diuus. 14. ff. ad L. Corn. de Sicar. & l. is qui cum telo. 7. C. d. t. & l. aut facta. 16. §. euentus spectetur. ff. de pœn.

## XLII.

ABIGEATVS est, cùm quis vel vno eodemq; tempore totum gregem (a) ouium, caprarum, suum, vaccarum, &c. (b) vel sapius vnum aut alterum pecus de grege surripit; (c) vel de armentis (d) aut iumentis (e) animal etiam vnum (f) abducit & surripit.

a) l. aut facta 16. §. quantitas. ff. de pœn. & l. vlt. in princ. ff. de abig. quo posteriori loco ostendit Iurisconsultus Callistratus, decem oues gregem facere, & porcos quinq; vel quatuor. (b) Grex est propriè ouium, caprarum & suum, aliorumq; pecorum, quæ ad pascendum emittuntur, non etiam ad portandum, aut arandum, aut vehendum vsurpantur. l. seruis. 61. §. armento ff. de leg. 3. & d. l. vlt. in princ. ff. de abig. & d. l. aut facta. 16. §. quantitas. ff. de pœn. Per synecdochentamen vel metaphoram gregis appellatio etiam armentis & iumentis tribuitur, eò quòd gregatim pasci dicuntur, §. 1. Inst. de L. Aquil. l. 2. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. si grege. 22. ff. de leg. 1. loh. Gœddeus ad l. boues. 89. in princ. d. V. S. (c) d. l. vlt. §. qui sapius. ff. de abig. At qui semel tantum porcum, vel capram, vel veruicem abduxit, abigeus non est. d. l. 1. §. sed qui porcum. ff. d. t. (d) Armentorum appellatione continentur boues. d. l. boues. 89. §. 1. ff. de V. S. d. l. seruis. 81. §. armento. ff. de leg. 3. & l. legatus. 65. §. iumentis. ff. d. t. (e) Iumentorum appellatio pertinet ad equos, mulos, asinos, qui baiulando, & onus portando homines iuuant, vt arguit d. l. legatus. 65. §. iumentis. iunct. §. seq. ff. d. t. & l. adiles. 38. §. iumentorum autem. ff. de adil. edict. (f) d. l. 1. §. 1. vers. & abigendi studium. & d. l. vlt. in fine princ. ff. de abig. Cuiac. lib. 1. obs. 20. vers. at non tantum quantitate, & Arnold. ab Haers. in aduers. de act. 20. ad 7. part. pand.

## XLIII.

Qui autem bouem aberrantem, vel equos in solitudine relictos abduxit, non est abigeus, sed fur potius; (a) vt & qui semel vnum suum, aut ouem, vel capram surripuit; (b) tum etiam qui pecora,

Ff 3 de

de quorum proprietate controuersiam faciebat, abegit; nisi color abigeatus quæsitus sit. (c)

a) d.l.1.vers.ceterum. ff. de abigeis. (b) d.l.1. §. sed & qui porcã ff. d.t. & d.l. aut facta. 16. §. quantitas. ff. de pœn. (c) d.l.1. §. vlt. ff. de abigeis.

## XLIV.

Hoc crimen parit & ordinariam siue priuatam actionem furti, vt si armentum vel iumentum aliquod sit abactum; & accusationem extraordinariam.

*l. vn. C. de abig. Cuiac. in parat. ff. b. t. Idem tamen lib. 1. obs. 20. & in parat. C. de abig. putat eo tantum casu etiam actionem furti hic locum habere, quo non totus grex ex minoribus pecoribus abactus est, sed vna tantum atq; altera ovis, aut capra, aut sus. Verum hunc quoq; qui armentum vel iumentum aliquod abegit, ciuili actione furti rectè conueniri arbitramur, tum generali textu d.l. vn. C. de abig. & per l. 2 ff. d. t. tum autoritate l. qui iumentum. 40. ff. de furt. Qui idem tamen etiam extraordinario iudicio abigeatus plecti potest. d.l. vlt. in fin. pr. ff. de abigeis.*

## XLV.

Extra ordinem criminaliter hoc de crimine si agatur, variè Reus plectitur. Si enim humilioris sit fortunæ, vel ad gladium damnatur, vel in metallum, vel in opus publicum perpetuum, vel temporarium. Ad gladium damnatur quis non vbiq; , sed vbi frequentius est hoc genus maleficij: alioqui vel in metallum, vel in opus publicum, perpetuum vel temporarium datur, (a) vt & is lenius coerceatur, qui à stabulo abegit domitum pecus non à silua nec à grege. (b)

a) *l. 1. in princ. & §. quanquam. ff. de abig. Quod Vlpiano Iurisconsulto loco modò adducto, & in l. si quis mihi bona. §. si quis planè. ff. de acquir. vel omitt. her. & in l. si quis filio. 6. §. sed & si quis ff. de iniusto rupto. & in fragm. Institut. tit. 1. Item Iul. Paulo. libr. 5. sent. tit. 17. est damnare ad gladium, id Gaio Iurisconsulto in l. eius qui. 8. §. vlt. ff. qui testament. fac. est damnare ad ferrum, Cuiac. in not. ad Iul. Paul. dict. lib. 5. tit. 7. §. 1. & in notis ad Vlpian. Instit. d. t. 1. & ad d. l. eius qui. §. vlt. ff. qui testament. fac. poss. Quia verò ante Iustiniani tempora à Constantino Imper. in l. vn. C. de gladiator. damnatio ad gladium, siue ad ferrum sublatã fuit, verisimile est Iustinianum Imperat. in legibus pandect. per damnationem ad gladium intelligere damnationem ad ludum gladiatorum, vt tradit Cuiac. lib. 1. obseruat. cap. 10. (b) dict. l. vlt. §. eum quoque. ff. de abigeis. Vbi pro, plenius, legendum esse, lenius, rectè sentit Cuiacius in parat. ff. dict.*



*ff. dict. t. & eum secutus Arnold. ab Haërsolt. in aduers. de action. act. 20. ad 7. part. pandect.*

## XLVI.

Qui verò honestiore loco nati sunt, non debent ad prædictam pœnam pertinere. (a) Sanè qui cum gladio abigunt, non iniquè bestijs obijciuntur. (b)

a) *d.l.1. §. quanquam. ff. de abig.* (b) *d.l.1. §. quanquam. & l.2. ff. d.t.*

## XLVII.

Receptores abigeorum decem annis relegantur.

*d.l.vlt. §. vlt. ff. h.t.*

## XLVIII.

PRÆVARICATIO accusatoris est, cùm accusator publico vel extraordinario iudicio non ex animo agit, sed cum Reo colludit & translaticie munere accusandi fungitur, proprias dissimulando probationes, falsas autem Rei excusationes admittendo.

*De publico iudicio est textus in l.1. in prin. & §.1. l.3. §.1. ff. de præuaricat. l.1. §.1. & §. præuaricatorem. ff. ad Sctm Turpill. De extraordinario iudicio est textus in l.6. ff. de præuar. vide de hoc crimine Menoch. lib.2. de arbit. iudic. cent.4. casu 323.*

## XLIX.

Hoc crimen & publico iudicio, & extra ordinem hodie moribus vindicatur. Publico iudicio, si præuaricatio publico iudicio facta sit (a). Extra ordinem siue in publico, siue extraordinario crimine præuaricatio facta dicatur. (b)

a) *d.l.3. in pr. & §.1. ff. de præuaric.* (b) *l.2. & l.3. in pr. ibi, aliud moribus inductum est. ff. d.t.*

## L.

Pœna autem præuaricatori publico in iudicio ea imponitur, quæ teneretur, si ipse in legem commisisset, qua Reus per præuaricationem absolutus est. (a) In extraordinario verò iudicio hodie ex moribus pœna iniungitur extraordinaria. (b)

a) *l. pen. ff. de præuaricat.* (b) *l.2. & l.3. in pr. ibi, aliud moribus inductum est. ff. d.t.*

## LI.

Efficitur quoque præuaricator condemnatus infamis, (a) & postea ex lege non accusat. (b)

a) *l.4. ff. d.t.* (b) *l.5. ff. d.t.*

OC CVL

## LII.

OCCULTATIO latronum vel alterius criminis reorum est, cum quis latrones, vel aliorum criminum reos dolo malo recipit, & celat.

*l. 1. & 2. ff. de receptor. Vbi Cuiac. in paratit. & l. 1. & l. 2. C. de his qui latr. occultauerunt. & ibi Cuiac. in par.*

## LIII.

Huius criminis reus tenetur & priuata actione, si reum priuati criminis recipit, & occultauit, puta actione furti, si furem, actione vi bonorum raptorum, si raptorem, actione serui corrupti, si seruum fugitiuum recipit & celauit. (a) Tenetur item extra ordinario iudicio, si latronem vel quem alium publici criminis reum (b) recepit, & occultauit.

a) *l. qui vas. 48. §. qui furem nouit. ff. de furtis. & l. si quis seruum 12. C. ad L. Fab. de plagiar. & facit d. l. 1. ibi, par ipsos & reos poena expectet. C. de his, qui latrones. & scribit de furum receptoribus Iodoc. Damhaud. in prac. rer. crim. c. 116. n. 2. & Cuiac. in paratit. ff. de recept. Arnold. ab Haërs. in aduers. de action. ad 7. part. pand. act. 22. in fin. Idem tamen Cuiac. in paratit. C. tit. de ijs qui latr. putat, eum qui furem recepit, ciuilitet tantum teneri. (b) *l. 1. ff. de receptor. & l. 1. & l. 2. C. de his, qui latrones.**

## LIV.

Pœna autem extraordinaria in receptorẽ varia conuertitur. Qui enim latronem sciens suscepit, & eum offerre iudici superfederit, supplicio corporali aut dispendio facultatum pro qualitate personæ, & iudicis æstimatione plectitur (a). Qui verò alterius criminis reum occultauit, par ipsum & reum poena expectat. (b)

a) *l. 1. C. d. tit. (b) d. l. 1. C. eod. & l. 1. ff. de recept. Iodocus Damhaud. in prac. rer. crim. cap. 134. n. 2. Sed vide Menoch. lib. 2. de arbit. iud. cent. 4. casu 348. numer. 3.*

## LV.

Sed qui latronem, vel alterius criminis reum in possessione sua latitantem offerre iudici superfederit, siquidem præsens & sciens vtrò non obtulerit, vel admonitus exhibere distulerit, possessionis suæ dominio priuabitur: Si verò dominus absit, procuratores seu primates possessionis perpetuo exilio subiacebunt.

*dict. l. 2. vers. Domini etiam prædiorum. Cod. de his qui latr. Damhoud. d. c. 134. n. vlt.*

## LVI.

Is tamen apud quem affinis vel cognatus latro conseruatus est, neq; absolui, neq; seuerè admodum puniri debet. Non enim par est eorum delictum, & eorum, qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt.

*l. 2. ff. de recept. Iodoc. Damhoud. d. c. 134. n. 4. Menoch. dict. casu 348.*

*n. 7. & seqq.*

## LVII.

FURTVM BALNEARIVM est, cùm quis in publicis balneis vestimenta, vel quid aliud alteri surripit: quod crimen extra ordinem arbitrio iudicis punitur: qui tamen in pœna balnearij furis modum operis publici temporarij haud egredi debet, nisi fur se telo defenderit. Talis enim fur pœnâ metalli afficiendus est, vel si honestior sit, relegationis pœnâ. (a) Miles autem, qui in furto balneario adprehensus est, ignominia mitti debet. (b)

a) *l. 1. ff. de furib. balnear. vide Menoch. lib. 2. de arb. iudic. cent. 4. casu 296.* (b) *l. vlt. ff. d. t. Aduersus fures balnearios inuentus est vsus Capsariorum, qui mercede, seruanda vestimenta suscipiunt. l. 3. §. fin. ff. de off. Præfecti vigil.*

## LVIII.

EFFRACTVRA est crimen, quo quis fores carceris, (a) aut furandi causâ domorum vel horreorum fores effringit. De quo crimine Iure Iustiniano cognoscit (b) etiam Præfectus vigilum, nisi si qua tam atrox, tamq; famosa persona sit, vt Præfecto vrbi remittatur. (c)

a) *l. 1. in princ. ff. de effract.* (b) *l. 3. §. effractura. ff. de offic. pref. vig.*

(c) *d. l. 3. §. 1. ff. d. t.*

## LIX.

Variè autem in effractores extra ordinem iure Iustiniano animaduertitur. Atrociores enim sunt nocturni effractores, & ideò hi fustibus cæsi in metallum dari solent. Diurni verò effractores post furtium castigationem in opus perpetuum vel temporarium dandi sunt. (a) In honestioribus tamen iudex relegationis pœnam excedere non debet. (b)

a) *l. vlt. ff. de effract. vid. Menoch. lib. 2. de arbit. iudic. cent. 3. casu 296.*

*num. 3. & casu 299. num. 5. & 6. & cent. 4. casu 301. num. 1. (b) l. 1. in fin. ff. d. t.*

Gg

Iure

## L X.

Iure verò Carolino vir suspenditur: foemina immersione in aquam & suffocatione eiusmodi coercetur: vel pro conditione personæ, & arbitrio iudicis punitur effractor aut oculorum euulsione, aut manus vnius amputatione, aut aliter.

Peinliche Halsgerichtsordnung Kaiser Karls des V. artic. 159.

## L X I.

Qui de carcere eruperunt siue effractis foribus, siue conspiratione cum cæteris, qui in eadem custodia erant, capite puniri iubentur. Quòd si per negligentiam euaserunt, leniùs puniuntur.

d. l. 1. in pr. ff. d. t. Menoch. dict. casu 301. n. 5.

## L X II.

Et si verò extra ordinem in effractores domorum vel horreorum animaduerti possit, si quis tamen malit in effractores pecuniariter experiri in duplum vel in quadruplum, liberum id fuerit; (a) quippe cum effractores hi fures sint. (b) Si quis item ex lege Iulia de vi publica iudicio publico hos postulare velit, non impediatur, in turba cum telo facta sit effractura. (c)

a) Cuiac. in parat. ff. de effract. (b) d. l. 3. §. 5. effractura. ff. de offic. Praef. vigil. Constit. Caroli V. in der peinlichen Halsgerichtsordnung. d. art. 159. (c) l. pen. ff. ad leg. Iul. de vi publ.

## L X III.

EXPILATIO est crimen, quo quis obuium quenq; noctu corripit, & vestimento ac pecunia exuit: (a) vel ædes alienas aut villas expilat. (b)

a) Cuiac. 15. obs. 31. Acon. in Verr. 2. Expilatores, ait, sunt, qui ne pilum quidem in corpore spoliatorum relinquunt, quales esse videntur, qui per vim homines pecunia, aut vestimentis exuunt, quos Græci λωποδύγας vocant. (b) l. pen. ff. ad l. Iul. de vi publ. Cuiac. quoq; in parat. ff. de effractor. expilatores desinit prædones, qui ædes aut villas alienas expugnant.

## L X I V.

Expilatores autem extra ordinem accusantur, & in opus publicum vel perpetuum vel temporarium dari solent: honestiores ordine ad tempus mouentur, vel fines patriæ excedere iubentur.

d. l. 1. §. 1. ff. de effract. & expilator.

## L X V.

Et licet expilationes differant à furtis (a): attamen cum expilatores

pilatores etiam fures sint, & quidem atrociores, (b) si quis malit, poterit in eos pecuniariter experiri in duplum vel quadruplum. (c) Sed & publico iudicio in expilatores animaduerti licet, & capite puniuntur, si quid in turba cum telo fecerint. (d)

a) *l. aut facta. 16. §. qualitate. ff. de pœn.* (b) *d. l. 1. §. 1. ff. de effract. & expil.* (c) *Cuiac. in parat. ff. d. e. Quin etiam actione vi bonorum raptorum eos conueniri posse videtur.* (d) *d. l. pen. §. 1. ff. ad l. lul. de vi publ.*

## LXVI.

CRIMEN SACCVLARIATVS est, quo quis magicis artibus ex alienis sacculis pecuniam aut subducit, aut manu subtrahit.

*l. Saccularij. 7. in pr. ff. de extraord. crim. Cuiac. lib. 10. obs. 27. & in parat. ff. de effract. vbi dicit, quod Saccularij similes sint sectoribus zonarijs.*

## LXVII.

Saccularius autem extra ordinem quoque plectitur eadem pœna, qua expilator.

*d. l. 1. §. simili modo. ff. de effractor. & expilat.*

## LXVIII.

CRIMEN DERECTARIATVS est, quo quis furandi animo in aliena cœnacula se dirigit, id est, malis artibus scandit in aliena cœnacula, fenestras hamis, vncinis, vel qua alia ratione furandi animo aperit.

*d. l. Saccularij. 7. vers. item qui derectarij. ff. de extraord. crim. Cuiac. 10. obs. 27. Menoch. lib. 2. de arbit. iudic. cent. 3. casu 299. n. vlt.*

## LXIX.

Derectarij quoq; pœna extraordinaria coercentur, & quidem vel ad tempus in opus dantur publicum; vel castigantur fustibus & dimittuntur: vel si honestiores sint, ad tempus relegantur, aut ordine mouentur.

*d. l. Saccularij. 7. vers. item qui derectarij. ff. de extraord. crim. & d. l. 1. §. simili modo. ff. de effractor. & expil.*

## LXX.

Et quia derectarij fures sunt, (a) dubium non est, quin etiam priuata furti actione conueniri possint. (b)

a) *d. l. Saccularij. 7. ibi, furandi animo. ff. de extraord. crim.* (b) *fures enim furti actione tenentur.*

## LXXI.

CRIMEN DARDANARIATVS est, cum quis vel annonarias

DISPUT. DE EXTRAORD. CRIM.

merces coemptas tantisper supprimit, donec carius eas vendendi occasio e offerat, (a) vel in vendendis mercibus statera adulterina vel mensura falsa utitur. (b)

a) *l.annonam 6.in pr.ff.de extraord.crim.* (b) *d.l.6.S.1.& vlt.ff.d.r.*  
& *l.in dardanarios 37.ff.de pœnis.vide Cuiac.lib.10.obser.cap.19.*

LXXII.

Coercentur autem dardanarij extra ordinem: (a) & plerunque si negociantes sunt, negociatione eis tantum interdicitur; interdum etiam pro modo admissi relegantur: & humiliores in opus publicum dantur.

a) *d.l.6.ff.de extraord.crim.d.l.in dardanarios 37.ff.de pœnis. Menoch. lib.2.de arbit.iudic.cent.4.casu.384.vide eundem casu 382.n.3.* (b) *d.l.6.in pr.& 5.vlt.ff.de extraord.crim.*

LXXIII.

Potest & publico iudicio in dardanarios animaduerti: puta iudicio legis Iuliae de annona, (a) vel si adulterina statera aut mensura vfi sint, iudicio legis Corneliae de falsis. (b)

a) *l.2.ff.de lege Iulia de annonis.* (b) *d.l.6.S.onerant.ff.de extraord.crim.*

LXXIV.

Quod deniq; attinet priuata delicta, vt furtum, Rapinam, iniuriam, serui corruptionem, autoritas legum arguit, hæc etiam pro actoris arbitrio extraordinaria fieri crimina.

*l.vlt.ff.de priuat.del.l.vlt.ff.de furt.& l.vlt.ff.de iniur.l.1.in pr.& 55. seqq.ff.de extraor.crim.De serui corruptione est textus in l.in eum 5.ff.d.r.*

FINIS DISPUTATIONIS

NONA.

Ka 3071

(3/4)

ULB Halle

3

003 261 573



sb

Blind. 3/1.







## Disputatio IX.

DE EXTRAORDINARIIS  
CRIMINIBVS,

Cuius defensionem

D. O. M. A.

P R A E S I D E,

CLARISSIMO,

CONSULTISSIMOQVE VIRO,

DN. HENRICO BOCERO, V. I. D.

*celeberrimo, & in inclita Tubingensi Academia Profes-  
sore praestantissimo, Praeceptore suo  
honorando:*ORDINARII EXERCITII GRATIA,  
pro ingenij tenuitate suscipiet, tempore lo-  
coq; consuetis,

IODOCVS COLB SPIRENSIS.

TUBINGÆ,  
Typis Georgij Gruppenbachij,

ANNO M. D. XCVIII.

Ee

